



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 23/12/I

BEATISSIME PATER,

Ioannes del Río Martín, Archiepiscopus Castrensis Hispaniae, cum clero et ceteris fidelibus suae pastoralis curae commissis, grato erga Deum animo iubilarem a Sanctitate Tua implorat Indulgentiam pro fidelibus qui pie interfuerint sacris functionibus, a die X vertentis mensis Februarii usque ad diem XIII Februarii MMXIII in sacello Collegii Iuvenum Custodum Civilis Custodiae "Dux de Ahumada" in Valdemoro peragendis, ut sancte commemoretur centesimus anniversarius dies, ex quo Nostra Domina de Columna, per Regium Decretum, Patrona Civilis Custodiae renuntiata est. Quo autem abundantius fidelibus, qui dictis celebrationibus intererunt, divinae gratiae thesaurus aperiatur, Exc.mus Orator Indulgentiae donum ad instar Iubilaei fiducialiter implorat.

Et Deus, etc.

Die VIII Februarii MMXII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis, *Marianum Annum cum adnexa plenaria Indulgentia* largitur, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si imaginem B. Mariae Virg. de Columna, in sacello Collegii Iuvenum Custodum Civilis Custodiae expositam, devote inviserint, et ibi alicui sacrae functioni interfuerint vel saltem per congruum temporis spatium piis considerationibus vacaverint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus B. Mariae Virginis.

Pii Iuvenes Custodes, morbo vel alii gravi causa impediti, *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, si, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, coram aliqua parva imagine caelestis Patronae, iubilare celebrationibus vel visitationibus se spiritaliter adiunxerint, suis precibus et doloribus misericordiae Deo per Mariam oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes, quibus pastoralis cura Collegii Iuvenum Custodum concredita est, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per Marianum Annum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

+ *Emmanuel Monteiro de Castro*  
† EMMANUEL MONTEIRO DE CASTRO

*Paenitentiaris Maior*

*Franciscus Piccoli O.F.M. Cap.*